

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNICUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS I.

PARS I.

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII. ω

cum litteris regiis ad nostram presentiam destinasti et que non tam promissa quam requisita fuerunt pensavimus diligenter. Porro si non solum ex equo, verum etiam e vicino respondissent postulatis oblata, satisfecissemus utique postulatis, cum ad regis salutem et regni pacem efficaciter aspiremus, tuum quoque, si per te ipsum non steterit, procurare velimus honorem pariter et profectum. Sperantes igitur quod tu intellecto beneplacito nostro sine difficultate debeas nostre acquiescere voluntati, tractate pacis negotium ad dilectum filium G. Sancti Adriani diaconum cardinalem, Apostolice Sedis legatum, duximus referendum, quem in Siciliam ad regis presentiam curavimus destinare. Quocirca nobilitatem tuam monemus attentius per apostolica tibi scripta mandantes quatenus eisdem cardinalis monitis et consiliis acquiescas et ad consummationem pacis utique necessarie cum eodem cardinale cui beneplacitum nostrum expressimus, diligens studium et operam efficacem impendas; sciturus pro certo quod apud Deum et apud homines et in presenti et in futuro gratia nostra tibi poterit plurimum esse fructuosa. Sin vero, correctionem et admonitionem divinam et indignationem apostolicam poteris gravissime formidare.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, IV nonas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

Scriptum est cum notis chronologicis eisdem L. regio protonotario, ut in fidelitate regis et Romanæ Ecclesiæ consistat. Vid. RAYNALD., ad ann. 1204, § LXXV.

Romæ,
ap. S. Petrum,
4 octobris.

Innocentius papa G. Sancti Adriani diacono cardinali scribit se nuntiis quos ex parte regia Willelmus Capparonus nuper sibi transmisit, finale responsum dare noluisse, sed tractatum pacis ipsius discretioni remisisse ut procedat sicut honori Ecclesiæ, saluti regis et regni quieti convenerit.

(Edd. BÆQUIGNY, *Innoc. III epistol.*, lib. VII, t. II, p. 554.)

Innocentius, etc., G. Sancti Adriani diacono cardinali, Apostolice Sedis legato, etc. Recepimus nuntios quos ex parte regia Willelmus Capparonis nuper ad nostram presentiam destinavit, abbatem videlicet de Refesia et Albertinum prepositum, quibus per mandatum regale fecit adjungi venerabilem fratrem nostrum Anselmum Neapolitanum archiepiscopum et dilectum filium Thomam regium justitiarium de Gaieta, diligentique meditatione pensavimus que per eos petita sunt et oblata insuperque promissa; que omnia cum iis que requisivimus schedula continet interclusa. Volentes autem tibi deferre cui commisimus vices nostras, noluimus eis finale dare responsum, sed ad te cuncta decrevimus referenda; discretioni tue per apostolica scripta mandantes quatenus statu Sicilie prudenti meditatione pensato, tractatum pacis aut consummes aut rumpas seu protrahas, sicut videris expedire: quod totum idcirco tue discretioni sub trina disjunctione committimus faciendum, quia tu plenius causarum et temporum nec non rerum ac personarum potes circumstantias intueri. Tu ergo de plenitudine gratie nostre securus, Deum habens pre oculis, nos etiam ac te ipsum et tam Apostolice Sedis honorem quam regis salutem et regni quietem attendens, studiose procedas ad omnia cum illorum consilio quos fideles expertus es ac devotos, primam a Deo et secundam a nobis recepturus pro tuo labore mercedem. Ad hec scribimus universis quibus scribendum per tuas litteras suggessisti, per apostolica tibi scripta mandantes ut negotium Romanorum et Messanensium studeas temperare, prout necessitas postulaverit utrorumque (1).

(1) De ista legatione haec legimus in *Gestis Innocent. III*, cap. XXXVI: « Dominus papa misit Gerardum Sancti Adriani diaconum cardinalem, per quem Willelmus Capparonis se fecit absolvi, jurans in manibus ejus domino papae balium et quod eidem cardinali tanquam vice balii in omnibus obediret. Ipse vero cardinalis coepit tractare concordiam inter ipsum et cancellarium, quae propter similitates subortas non potuit consummari, accessitque Panormum et honorifice a Capparone receptus, coepit tanquam balius regis et regni negotia pertractare. Cum autem mandatum Capparoni fecisset sub debito praestiti juramenti super satisfactione clericis et ecclesiis impendenda, ille semper bene promittens de promissis nihil agebat, universa pro sua voluntate disponens. Unde cardinalis praedictus post aliquantulam moram quam fecit Panormi, maxime propter regem qui delectabatur in ejus praesentia et de sua consolatione gaudebat, Messanam rediit, domini papae responsum expectans. »

Datum Rome apud Sanctum Petrum, IV nonas octobris, pontificatus nostri anno VII.

Scriptum est postridie P. episcopo, Panormitano electo, ut ea studeat operari per quae magis ac magis fidei puritas in ipso elucescat; *ibidem*, p. 555.

In felici urbe
Panormi,
octobri.

Fridericus rex Siciliae confirmat privilegium ab Henrico imperatore patre suo fratribus hospitalis Sancti Thomae de Barolo de ordine Theutonicorum indultum de terris laboratoriis in tenimento Cannarum et de ecclesia Sancti Nicolai de Riula, nec non duo alia privilegia a se ipso eidem hospitali concessa; dat insuper terram quamdam demanii sui cum confirmatione honorum omnium, exemptionibus et jure fori.

(Inedit. ex arch. reg. S. Severini ap. Neapolim, numero pergamenae non expresso.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Jhesu Christi. Amen. Federicus divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Regalis gloria majestatis totiens eterne beatitudinis meritum et regiminis temporalis augmentum noscitur devocius affectare, quotiens sacrosanctis ecclesiis et locis venerabilibus dexteram sue largitatis effundit et eas pace nititur et votiva tranquillitate vallari. Inde est quod vos, fratres hospitalis Sancti Thome de Barolo, in majestatis nostre presentia constituti, ostendistis nobis privilegium domini quondam Henrici patris nostri felicissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie, dive recordationis, per quod ob reverentiam Beate Dei genitricis Marie, fratribus hospitalis Theutonicorum apud Jerusalem in honore ipsius Beatissime Virginis constructi, pro peccatorum suorum remissione et pro anime sue et suorum omnium predecessorum salute, dederat et confirmaverat in perpetuum supradictum hospitale cum ecclesia Sancti Thome de Barolo et tenimentis suis, et eidem ecclesie Sancti Thome et